



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 14. Cercampensis congressus pro pace restauranda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1558.

cis colloquium haberi tandem consentiret, moxque ipsummet Connestabilem ad Henricum II. decerneret, eo fine, ut hunc regem pariter ad hoc colloquium incitaret. Henricus, qui tum in suis castris ad Sommam agebat, Montmorentium maximis honorum signis excepit, quin imo eidem obviam procedens in ejus amplexus ruit, atque ipsum etiam suo lecto insidere fecit, quæ benevolentia certe Guisii Principibus permolesta acciderat. Ceterum nonnisi de seligendo colloquii loco agebatur, ac præ ceteris ad inchoandas consultationes magis opportuna censebatur Abbatia Cercampensis, quæ in Arthesiæ comitatu sita haud procul ab Hedena urbe distabat. Eo igitur Mense Octobri ad medium vergente Legati utrinque magno numero convenere.

§. XIV.

*Cercampensis congressus pro pace restauranda.*

Itaque Cercampum veniunt Regis nomine Cardinalis Lotharingus, Connestabilis Annas Montmorentius, Jacobus Albo Santandreas. Marcellus, Joannes Morvillerius Episcopus Aurelianensis, & Claudius Albaspinæus a fecretioribus epistolis: Nomine autem Philippi

lippi Hispaniæ Regis interfuere Ferdi- Sæc. XVI.  
 nandus, Alvares Toletanus Albæ Dux, A.C. 1558.  
 magnus Palatii Magister, Guilielmus  
 Nassovius Arausiensis Princeps, ambo  
 velleris aurei equites præter Rigomesium  
 Silvam Melitæ comitem, Antonium  
 Perrenotum Atrebatensem Episcopum,  
 & Ulricum Viglium de Ayta Zwic-  
 mii in Frisia Toparcham; Mariæ au-  
 tem Angliæ Reginæ partes in hoc ne-  
 gotio tuebantur Thomas Thirlebyus  
 Eliensis Episcopus, & Thomas Havar-  
 dus cubiculariorum Princeps, & Nicolaus  
 Wottonus Eboracensis Decanus; de-  
 mum pro Sabaudia Duce aderant  
 Thomas Languscus Stropianæ Co-  
 mes, & Astensis Curia Præses.  
 Intererat etiam Christiana Vidua Lo-  
 tharingia Ducissa unacum Carolo ejus  
 Filio, qui tamen amicorum, pacisque  
 conciliatorum partes sustinere volebant.  
 In primo congressu placuit, quod armo-  
 rum induciæ usque ad Mensis Octobris  
 exitum decernerentur, quapropter co-  
 piæ utrinque dimittebantur, & quidem  
 hispanorum exercitus secundo Authiæ  
 Flumine Abbatis villam versus cum  
 iter habuisset, inde ad Sancti Audomari  
 oppidum contendit. Rex vicissim  
 peditatu in Regni finibus per præsidia  
 distributo, equites domum remisit.  
 Postea inter delegatos quoad primum

Sæcul. XVI.  
A. C. 1558.

articulum magnam controversiam excitaverat de Caletio contentio, cum istud Galli, ut antiquum regni patrimonium bello nuper recuperatum, retinere velent, atque Angli, nisi restitueretur, pactis subscripturi non viderentur: Cum igitur Philippus Rex utriusque partis pertinaciam cerneret, jam tum de pace ineunda desperabat, moxque in Angliam Feriæ comitem misit, ut Mariam Reginam uxorem jam ægram inviseret, præcipue vero, si nulla ratione Galli adduci possent, ut Caletum nuper Anglis ademptum restituerent, de tradenda Sabauda Elisabetha sorore condiciones proponeret.

## §. XV.

*Elisabethæ connubium a Sabauda Duce expetitur.*

*Thuan. l. c.*

Enimvero Philibertus Emanuel Sabaudia Dux, qui inter ævi sui Belliduces longe celeberrimus, atque a Gallis sua ditioe spoliatus tum exul oberabat, Philippum Regem eo induxerat, ut inter ipsum, & Elisabetham Regiam Principem nuptias conciliaret. Verum referunt Historicorum nonnulli, quod ipsemet Philippus eam sibi in uxorem destinaverit, si forte Maria Regina absque prole decederet: eapropter Elisabethæ